

956. VII, 2-9 — Processo feito pelo bispo do Funchal, pelo qual apropriou à Ordem de Cristo, as cinquenta igrejas do padroado real para se erigirem novas comendas. Lisboa, 1517, Junho, 28. — *Pergaminho. Duas folhas. Bom estado.*

Reverendissimis reverendisque in Christo patribus et dominis dominis archiepiscopis et episcopis Portugalie et Algarborum regnorum eorumque et cuiuslibet ipsorum in spiritualibus et temporalibus vicariis et officialibus generalibus et spetialibus omnibus aliis et singulis comuniter vel divisim quorum interest intererit aut interesse et quos infra scriptum tangit negotium seu tangere poterit quomodolibet in futurum quocumque seu quibuscumque nomine seu nominibus censeantur et quacumque prefulgeant dignitate.

Jacobus Pinheiro Dei et apostolice sedis gratia episcopus Funchalensis Indorum primas judex et executor ad infrascripta unacum nostris in hac parte collegis cum clausula quatenus ipsi vel duo aut unus eorum per se vel alium etcetera ab eadem sede apostolica spetialiter deputati salutem in Domino et nostris immoverius apostolicis firmiter obedire mandatis litteras sanctissimi domini nostri domni Leonis divina providentia Pape decimi cum filis serecis vera bula plumbea more romanae curie bullatas sanas siquidem et integras non viciatas non cancellatas nec in aliqua earum parte corruptas nec suspectas sed omni prorsus vitio et suspicione carentes ut in eis prima facie apparebat necnon papiri cedulam serenissimi domini nostri Emanuelis predictorum regnorum regis invitissimi in ipsis litteris specialiter nominati manu propria signatam nobis pro parte pre-

dicti domini regis coram notario publico et testibus infra scriptis presentatas per venerabilem et circunspectum virum doctorem Gaspar Valasci prefati serenissimi Emanuelis in hac parte legitimum procuratorem ut ex mandati tenore nobis constitit nos cum ea qua decuit reverentia noveritis recipisse. Quarum quidem litterarum apostolicarum dicteque cedule et mandati successive de verbo ad verbum tenor talis esse dignoscitur.

Leo episcopus servus servorum Dei carissimo in Christo filio Emanuelli Portugalie et Algarbiorum regi illustri salutem et apostolicam benedictionem.

Honestis votis tuis illis presertim que fidei propagationem concernunt libenter annuimus eaque favoribus prosequimur oportunis dudum attentes tua ad Dei laudem et gloriam orthodoxeque fidel exaltationem christianorumque indemnitatem et commodum contra infideles sarracenos et dictae fidei inimicos cum militibus militie Jhesu Christi cuius perpetuus administrator per sedem apostolicam deputatus existis preclara facinora et assidua bella que contra perfidos nostre fidei hostes forti ex constanti animo gesseras et non minore fidei ardore divina favente clementia totis conatibus gerere intendebas motu proprio tot preceptorias dictae militie quot infra terminum unius anni extunc computandum et sub invocationibus que tibi viderentur in monasterio conventu seu militia hujusmodi ereximus ac tot bona et jura monasteriorum et prioratum usque ad summam viginti milium ducatorum si tot juxta formam tunc expressam dimembrari poterant alioquin pro eo quod ex dicta summa deesset ex parrochialibus ecclesiis per te exprimendis et declarandis usque ad dictam summam viginti milium ducatorum saltem pro singulis eorumdem ecclesiis rectoribus portione sexaginta ducatorum reservata dimembravimus et separavimus illaque sic separata et dimembrata preceptorii sic erectis proportionabiliter pro eorum dotibus perpetuo applicavimus et appropriavimus prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur.

Cum autem sicut nobis nuper exponi fecisti tu experientia ipsa que est rerum magistra didicisti milites dictae militie qui nobiles esse debent et in emissione professionis Deo servire promittunt et pro ejus fidei augmento manifesto periculo mortis se exponere non formidant et contra dictos infideles viriliter pugnant sperantes si contra Christi nominis hostes pugnando occumberent felicitatis eterne premium consequi posse et propterera ultra numerum preceptoriarum per nos erectarum hujusmodi alias preceptorias pro nonnullis aliis militibus dictae militie erigi et institui desideras ut multiplicato militum hujusmodi numero bellum adversus eosdem infideles majori robore proseguiri possit.

Quare nobis humiliter supplicari fecisti ut hujusmodi tuo pio et honesto desiderio annuere de benignitate apostolica dignaremus.

Nos itaque hujusmodi supplicationibus inclinati tot alias preceptorias dictae militie quot infra annum a data presentium computandum sub invocationibus de quibus tibi videbitur exnunc pro ut extunc et econtra in

monasterio dicte militiae seu illius conventi aut militia hujusmodi perpetuo erigimus et instituimus ac bona et jura quinquaginta parochialium ecclesiarum que de jure patronatus laicorum tui existunt et quas tum infra dictum annum duxeris specificandos pro singulis earum rectoribus saltem portione sexaginta ducatorum reservata perpetuo dimembramus et separamus illaque sic separata et dimembrata preceptoris prefatis erectis proportionabiliter pro earum dotibus perpetuo applicamus et apropriamus ac facultatem nominandi milites ad dictas preceptorias tibi et pro tempore existenti regi Portugalie concedimus dummodo tuus ad hoc expressus accedat assensus ac erectionis dimembraitonis separationis apropriationis ac jus et facultatem nominandi et nominationes per te et alios reges prefatos facientes exnunc pro ut extunc non ficte sed vere suum verum plenarium et totalem effectum sortitas esse dictasque nominationes vim validarum et efficacium apostolicarum provisionum habere ita quod liceat ipsis militibus ad preceptorias sic erectas per te et alios reges prefatos nominatis cedentibus vel decedentibus modernis rectoribus dictarum quinquaginta parochialium ecclesiarum a quibus bona dimembravimus et separavimus et preceptoris erectis hujusmodi applicavimus seu ecclesias ipsas quomodolibet dimittentibus et illis quovismodo vacantibus bonorum dimembratorum et applicatorum ac pro dotibus assignatorum hujusmodi corporalem possessionem per se vel alium seu alios propria auctoritate libere apprehendere illarumque fructus redditus et proventus in suos ac preceptoriarum hujusmodi usus et utilitatem convertere ordinariorum locorum et quorumvis aliorum licentia super hoc minime requisita ipsasque preceptorias tam hac prima vice ab earum primeva erectione hujusmodi quam pro tempore vacantes per quoscunque etiam a sede predicta sive tuo et pro tempore existentis regis hujusmodi consensu impetrari non posse et omnes impetrations et concessionis de illis etiam a sede predicta aliter factas nullas irritas invalidas et inanes nulliusque roboris vel momenti fore necnon applicationes apropriationes predictas tanquam realiter effectum sortitas in quibusvis generalibus vel spetialibus revocationibus et suspensionibus unionum annexionum et incorporationum appropriationum applicationum regularum constitutionum voluntatum decretorum et quarumvis dispositionum per nos seu sedem predictam editarum et edendarum etiam si de eis de verbo ad verbum specialis specifica et expressa mentio fieret nullatenus comprehendi sicque nostre incommutabilis voluntatis et intentionis fuisse et esse per quoscunque judices ordinarios delegatos et subdelegatos etiam Sancte Romanae ecclesie cardinalis et causarum palatii apostolici auditores in Romana Curia et extra eam in quamvis instantia sententiari judicari decidi et interpretari debere sublata eis et eorum cuiilibet quavis alia sententiandi declarandi judicandi et interpretandi facultate ac irritum et inane quicquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari decernimus et declaramus.

Quocirca venerabilibus fratribus nostris Septensis et Funcalensis (sic)

episcopis ac dilecto filio ministro domus Sancte Trinitatis Ulixbonensis modernis et pro tempore existentibus super quo eorum conscientiam oneramus per apostolica scripta mandamus quatinus ipsi vel duo aut unus eorum per se vel alium seu alios fructus redditus et proventus hujusmodi a dictis quinquaginta parochialibus ecclesiis separata et dimembrata pro dotibus hujusmodi salvis administris sexaginta ducatis pro modernorum rectorum successoribus hujusmodi designent et assignent ipsumque regem et milites nominatos ad preceptorias erectas hujusmodi in earum et bonorum predictorum possessionem inducant et inducitos defendant amotis ab eis cedentibus vel decedentibus modernis rectoribus prefatis seu ecclesiis ipsis alias quovismodo vacantibus quibuslibet illicitis detentoribus faciantque de ipsorum bonorum pro dotibus applicatorum hujusmodi fructibus redditibus proventibus juribus et obventionibus universis integre respondere contradictores appellatione postposita compensando invocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachii secularis non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem quod milites per te et pro tempore existentem regem prefatum ad preceptorias hujusmodi nominati infra octo menses post nominationem hujusmodi et ipsarum preceptoriarum possessionem adeptam novam provisionem a sede predicta impetrare ac litteras apostolicas expedire necnon omnia jura camere apostolice solvere teneantur alioquin nominationes sic facte et possessiones etiam per eos apprehense et quemque inde secuta nulla et invalida nulliusque roboris vel momenti sint et esse ipseque preceptorie vacare censeantur eo ipso et ab aliis militibus ejusdem militie et non aliis a sede predicta eo casu dumtaxat libere impetrari et concedi valeant.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre erectionis institutionis dimembraitonis separationis applicationis appropriationis concessionis decreti declarationis mandati et voluntatis infringere vel ei casu temerario contraire.

Siquis autem hoc attemptare presumpserit indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Rome apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominice millesimo quingentessimo sextodecimo quattuordecimo Kalendas Februari Pontificatus nostri anno quarto.

Nos el rey fazemos saber a vos dom Diogo Pinheiro bispo do Funchal que ho Santo Padre a nossa sopriçācam por acrecentar o numero das comendas da Ordem de Nossa Senhor Jhesu Christo nos concedeo que de cinquenta egrejas de nosso padroado se podessem tomar os beens remadas e direitos delas pera se fazerem tantas comendas da dita Ordem e sob aqueles nomes e invocações que nos especificasemos e ordenassemos reservando aos reitores delas sesenta cruzados pera sua sostencam (*sic*)

e ho resido fosse para as ditas comendas e vos deu a vos por executor
pera ello pelo qual nos pera comprimento do sobredito nomeamos e
specificamos as igrejas de nosso padroado de que se hos ditos beens
ajam de dismembrar e apricar pera se fazerem as ditas comendas sob
as invocações dellas aquellas que se adiante seguem a saber:

No arcebispado de Braga: Sam Vicente de Vimioso com suas anexas.

Item. Sancta Maria da Torre de Momcorvo.

Item. Sam Salvador d'Anciäees.

Item. Sam Joham d'Amciäees.

Item. Sancta Maria de Mirandela.

Item. Sam Martinho de Bornes.

Item. Sancta Maria de Miranda.

Item. Sam Joham da Castanheira.

Item. Sancta Maria d'Airaees.

Item. Sam Salvador da Emfesta com suas anexas.

No bispado de Lamego:

Sancta Maria de Pinheiro.

Item. Sam Martinho de Ranhadas.

Item. Sam Pedro de Marialva.

Item. Sam Martinho das Freixedas.

Item. Sancta Maria do Esevo.

No bispado de Viseu:

Sancta Maria de Çatam.

Item. Sanctiaguo de Caçurrães.

Item. Sancta Maria d'Alguodres.

Item. Sam Giam d'Azurara.

Item. Sancta Luzia de Tranquoso.

Item. Sam Joham de Tranquoso.

Item. Sam Miguel do Outeiro.

Item. Sam Salvador de Castellãos de Besteiros.

Item. Sanctiago de Besteiros.

Item. Sancta Marinha d'Amoreira.

Item. Sancta Maria de Frechas.

Item. Sancta Maria de Senhorim.

Item. Sam Pedro de Lardosa.

Item. Cambra Sam Giam.

Item. Ventosa Sancta Maria.

Coimbra.

Item. Sancta Maria de Sea.

Item. Sam Jenonoso d'Arganil.

Item. Sam Pedro de Vallongo.

Item. Sancta Maria de Misquitela.

No bispado da Guarda:

Item. Sancta Maria de Sortelha.

Item. Sancta Maria de Castel de Vide.

Item. Sancta Maria de Villa de Rey.

Sam Pedro d'aldea de Johane.

Item. Sam Pedro de Germello.

Item. Sancta Maria de Manteiguas.

Item. Sancta Maria de Covilham.

Item. Sam Dominguos de Janeiro.

Item. Sam Joham d'Alegrete.

No arcebispado de Lixboa:

Sancta Maria de Vallada.

Item. Sancta Maria d'Azambuza.

Item. Sancta Maria de Povos.

Item. Sancta Maria de Simtra.

Item. Sancta Maria de Torres Vedras.

Item. Sam Pedro de Torres Vedras.

Item. Sam Nicholao de Lixboa.

Notificamus vo lo asi que ho queirais asy comprir como na dita bula
he comtheudo.

Feito em Lixboa aos xx dias de Mayo. Jorge Roiz ho fez de mil b'x bij.

Nos el rey por este nosso alvara damos nosso poder e autoridade ao
doutor Gaspar Vaaz de nosso desembargo e procurador dos nossos feitos
que em nosso nome possa apresentar ao bispo do Funchal a bula que ho
Sancto Padre nos concedeo das cinquoenta igrejas do nosso padroado de
que hos beens e remendas dellas lhe prouve se anexarem a Ordem de Christus
pera encomendas da dita Ordem segundo na dicta bula he contheudo e asy
mesmo pera apresentar em nosso nome a nomeaçam que das dictas igrejas
fazeemos per hū nostro alvara e asi mesmo o breve per que ho *Sancto Padre*
confirma a declaraçam feita pello nuncio sobre ho crecimiento da
taxa feita pello dito nuncio e que possa nomear outras em lugar das que
forem nomeadas nos vinte mil cruzados e se nom acham e asi mesmo
quaesquer outras provisões e cousas que pera divida execuçam disto
comprir em nosso nome dee todo a eexecuçam e efecto. *Porem* notificamus
asy ao dicto bispo como a juiz desta causa e a quaesquer outros officiaes
e pessoas a que o conhecimento dello pertencer e lhe encomendamos que
como nosso sufficiente e abastante procurador o recebam a todo ho que
dito he porque nos lhe damos pera ello nosso inteiro poder e autoridade.

Feito em Lixboa aos xx bilj dias de Maio. Jorge Roiz ho fez de 1517.

Postquam quidem litterarum apostolicarum cedula et mandati presen-
tationem et receptionem fuimus per supradictum procuratorem pro parte
dicti domini nostri regis debita cum instantia requisiti ut ad executionem

dictarum litterarum apostolicarum et in eis contemptorum procedere dignaremur juxta traditam seu directam a sede apostolica nobis forma.

Nos igitur episcopus Funchalensis executor prefatus atendens hujusmodi requisitionem fore juxtam et consonam rationi volentesque mandatum hujusmodi apostolicum nobis in hac parte directum reverenter exequi ut tenemur quinquaginta preceptorias sub nominibus et invocationibus in predicta cedula dicti domini regis contentis in monasterio seu conventu de Thomar militie Domini Nostri Jhesu Christi exnunc perpetuo erigimus instituimus et ordinamus ac bona et jura dictarum quinquaginta parochialium ecclesiarum quae de jure patronatus dicti domini regis existunt ejusdem ad hoc expresso accendentem consensu dimenbramus et separamus illaque sic separata et dimembrata preceptoris prefactis ut premititur erectis proportionabiliter pro earum doctibus perpetuo applicamus et apropiamus singulis tamen earum rectoribus portionem lx ducatorum reservamus et asignamus ac facultatem nominandi milites ad dictas preceptorias predicto serenissimo Emanuelem et pro tempore regi Portugalie existenti auctoritate apostolica concedimus et nominationes per dictum dominum Emanuelem et alios reges pro tempore existentes vim vallidaram et efficaciam provisionem habere.

Itaque liceat ipsis militibus ad preceptorias sic erectas per dictum dominum Emanuelem et alios reges prefatos nominatis cedentibus vel decedentibus modernis rectoribus dictarum L¹a parochialium ecclesiarum a quibus bona dimenbramus et separamus et preceptoris erectis hujusmodi applicamus seu ecclesias ipsas quomodolibet dimitentibus et illis quovismodo vacantibus bonorum dimembratorum et aplicatorum pro dotibus asignatorum hujusmodi corporalem possessionem per se vel alium seu alios propria auctoritate libere apprehendere earumque fructus redditibus et proventus in suos ac preceptoriarum hujusmodi usus et utilitatem convertere ordinariorum locorum et quorumvis aliorum licentia super hoc minime requisita ac impetrations et concessiones aliter et contra formam dictarum literarum factas nullas irritas invalidas et innanes nulliusque roboratas vel momenti fore necnon applicationes et apropiaciones predictas tamquam realiter effectum sortitas in quibusvis spetialibus vel generalibus revocationibus et suspensionibus unionum enexionum et incorporationum appropriationum voluntatum decretorum et quarumvis dispositionum prout in dictis litteris plenius continetur nullatenus comprehendi ac irritum et inane si secus super his a quaquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingerit attemptari auctoritate apostolica decernimus ac declaramus milites a tamen per prefactum regem et suos sucesores ad preceptorias hujusmodi nominati infra octo menses post nominationem hujusmodi ac ipsarum preceptoriarum possessionem adeptam provisionem a sede apostolica impetrare ac litteras apostolicas expedire necnon omnia jura camere apostolice solvere teneantur alioquin nominationes sic facte ac possessiones etiam per eos apprehense et quacumque indesecute nulla et invalida nulliusque roboris vel momenti sint et esse ipseque preceptorie

vacare censeantur eo ipso et aliis militibus ejusdem militie et non aliis a sede predicta eo casu dumtaxat libere impetrari et concedi valeant.

Porro ut major concordia inter rectores et preceptores predictos habeatur ac disensionis materea evitetur persona idonea quam nos elegimus cuive vices nostras duxerimus commitendas infra anum ad parochiales ecclesias supradictas expensis dicti domini regis personaliter acedet quae quidem persona tot bona jura ac redditus earumdem seperet ac dimembret in bonis inmobilibus juribus aut decimarum quota quae ad sumam dictorum ix ducatorum quam dictis rectoribus reservamus acedat itaque summa predicta dictis rectoribus reservata in bonis separatis perpetuo remaneat dimembrata et assignata jureque proprio et auctoritate ab eis libere vendicentur et percipiantur domus tamen ecclesiarum predictarum quae hatenus solite sunt per eosdem rectores comorari atque eorum usui et habitationi deputate rectoribus salve pro eorum habitatione remaneant itaque in extimatione sume ix ducatorum minime comprehenduntur.

Et quare inter predictas ecclesias aliquae tenues in presenti reperiuntur ut predicti rectores et preceptores earumdem ecclesiarum portionibus comodius substentari valeant salvum jus ac facultas dicto domino regi remaneat quandocumque ad ejus notitiam pervenerit alias alias pinguiiores parochiales ecclesias sui juris patronatus existere illas vel earum quamlibet iterum nominandi et prelatus per eum reputandus earumdem bona ac jura ex ecclesiis hujusmodi dimembrare et separare ac dictae militie et preceptorii assignare et aplicare et loco bonorum aliarum ecclesiarum minoris valoris subrogare ac bona dictarum minoris valoris ecclesiarum nunc per nos dimembrata et preceptorii prefatis assignata a dictis preceptorii tunc dimembrare et separare et dictis ecclesiis ut primitus erant reintegrare valleat jura autem episcopalia et alia onera dictis ecclesis incumbentia dicti rectores atque preceptores pro rata partis uniuscujusque suportare teneantur.

Que omnia et singula necnon presentes litteras nostras et in eis contenta vobis omnibus et singulis supradictis et vestrum cuilibet intimamus insinuamus et notificamus et ad cujuslibet vestrum notitiam deducimus et deduci volumus per presentes ne de premissis ignorantiam aliquam pretendere valeatis vosque nichilominus et vestrum quemlibet eadem auctoritate requirimus et monemus p^o 2^o et 3^o et perentorio sex dierum canonica monitione premissa quorum sex dierum duos pro primo duos pro 2^o reliquos alios duos pro tertio et perentorio termino assignamus milites per dictum regem ad preceptorias per nos ut premittitur erectas nominatos vel procuratores suos pro eis et eorum nomine in et ad corporalem realem et auctualem possessionem preceptoriarum hujusmodi et honorum ac jurium ou dictis ecclesis dimembratorum et preceptorii predictis applicatorum si vacant ad presens vel quam primum ut premittitur vacaverit et pertinentium eorumdem libere apprehendere earumque fructus redditus et proventus in suos ac dictarum preceptoriarum et militie usus

et utilitatem convertere permittatis inducatis et defendatis in dictos amotis exinde quibuslibet illicitis detentoribus quos nos in quantum possumus amonemus et denunciamus amotis sibique et dictis procuratoribus suis faciat de ipsarum preceptoriarum fructibus redditibus proventibus iuribus et obventionibus universis integre responderi.

Monemus insuper modo et forma premissis vos omnes et singulos supradictos tam ecclesiasticos quam seculares cujuscunque dignitatis gradus ordinis vel conditionis existunt vobisque et ipsis exprese inhibentes ne prefatis militibus sic nominatis quominus preceptorias hujusmodi earumque possessionem assequi possint ipsarumque fructus redditus et proventus percipere et levare valeant seu quominus omnia et singula supradicta suum debitum sortiantur effectum impedimentum aliquod prestetis prestiterit seu prestat aut impedientibus ipsos vel procuratores suos detis seu dentis vel det auxilium consilium vel favorem publice vel occulte directe vel indirecte quovis quesito collore allioquin in vos omnes et singulos supradictos atque eos et vestrum et eorum quemlibet et generaliter in quoslibet contradictores in hac parte et rebeles nisi infra dictum sex dierum terminum a contradictione impedimento auxilio consilio vel favore hujusmodi destiteritis seu destiterit ac mandatis et monitionibus nostris hujusmodi inmoverimus apostolicis parueritis seu paruerint ac paruerit cum effectu exnunc prout extunc singulariter in singulos dicta sex dierum canonica monitione premissa excommunicationis sententias ferimus in hiis scriptis et provulgamus (*sic*) vobis vero reverendissimis reverendisque dominis archiepiscopis et episcopis ob reverentiam vestre pontificalis dignitatis duximus differendum in hac parte. *Si* tamen contra premissa vel aliquod permissorum feceritis per vos vel alios a vobis submissos publice vel occulte directe vel indirecte exnunc prout extunc et extunc prout exnunc predicta canonica monitione premissa ingressum ecclesie interdicimus in hiis scriptis.

Si vero predictum interdictum per alios sex dies immediate sequentes animis quod absit substineritis induratis nos exnunc prout extunc et ut extunc prout exnunc in hiis scriptis excommunicationis sententia innodamus. Ceterum cum ad executionem premissorum ulterius faciendum nequeamus quoad presens personaliter interesse pluribus aliis arduis legitimate prepediti negotiis universis et singulis dominis abbatibus prioribus prepositis decanis archidiaconis scolasticis cantoribus custodibus thesaurariis sacristis tam cathedralium quam collegiarum canonicis parochialiumque ecclesiarum rectoribus seu loca tenentibus earumque vicariis perpetuis presbiteris capellanis clericis ceterisque viris ecclesiasticis in quibuscunque dignitatibus gradibus vel officiis constitutis notariisque tabellionibus publicis quibuscunque per civitates et dioceses dictorum regnum et aliis ubilibet constitutis et eorumcuilibet in solidum super ulteriori executione dicti apostolici mandati atque nostri facienda auctoritate apostolica supradicta tenore presentium plenarie comittimus vices nostras donec eas ad nos spacialiter et expresse duxerimus revocandas quibus et eorum cuilibet

in virtute sancte obedientie et sub excommunicationis pena quam in ipsos et eorum quemlibet in solidum dicta canonica monitione premissa ferimus in hiis scriptis si ea quae in eis in hac parte comittimus et mandamus neglexerint seu contumaciter distulerint adimplere quatinus ipsi vel eorum alter qui super hoc pro parte dicti serenissimi regis et preceptorum predictorum sit nominatorum fuerint requisiti seu aliter eorum fuerit requisitus ita tamen quod alter alterum non expectet nec unus pro alio se excuset infra sex dierum spatium post requisitionem hujusmodi eis vel alteri eorum factam quem terminum illis et eorum cuiilibet pro omni dilatatione et termino peremptorio ac monitione canonica assignamus ad vos reverendissimos reverendosque archiepiscopos et episcopos necnon decanos archidiaconos capitula canonicos et personas prefatas omnesque alias et singulos supradictos quibus hujusmodi noster processus dirigitur necnon ad ecclesias hujusmodi personasque et loca alia de quibus ubi quando et quotiens expediens fuerit personaliter accedant seu alter eorum accedat dictasque litteras apostolicas et hunc nostrum processum ac omnia et singula in eis contenta seu eorum substantialem effectum vobis et cuiilibet vestrum ac aliis quorum interest communiter vel divisim legant intiment insignient et fideliter publicari procurent necnon prefato serenissimo regi et preceptoris predictis seu eorum procuratoribus plene et integre respondere faciant et procurent aut unusquisque faciat aut procuret prout ad ipsos et ipsorum quemlibet communiter vel divisim pertinet juxta dictarum apostolicarum litterarum continentiam et tenorem et nichilominus omnia et singula nobis in hac parte comissa plenarie exequantur juxta tradictam seu directam a sede apostolica nobis formam absolutionem vero omnium et singulorum qui prefatas nostras sententias vel earum aliquam incurrerint seu incurrerit quo quomodo nobis vel superiori nostro reservamus. In quorum omnium et singulorum fidem et testimonium premissorum presentes literas sive presens publicum instrumentum processum nostrum hujusmodi in se continentem sive continens exinde fieri et per notarium publicum infra scriptum subscribi et publicari mandavimus nostrique sigilli jussimus et fecimus apensione communiri.

Datum in civitate Ulixbonensis viij^o die mensis Junii anno a Nativitate Domini millesimo quingentessimo decimo septimo presentibus ibidem venerabilibus Tristano Couceiro et Ario Gometii alunis predicti reverendi episcopi testibus ad premissa vocatis specialiter ac rogatis.

Et ego Marcus Stephanii clericus Elborensis diocesis capellanus predicti serenissimi regis publicus actoritate apostolica notarius quia preinsertarum litterarum apostolicarum presentacioni requisitioni presentisque processus petitioni et fulminationi omnibusque aliis et singulis dum sic ut premititur per prefatum dominum episcopum Funchalensem judicem et executorem et coram eo agerentur dicerentur et fierent unacum prenominationis testibus presens fui eaque sic fieri vidi et audivi. Ideoque hoc presens publicum instrumentum processum executoriale in se continens manu alterius me aliis occupato negotiis scrupuli feci subscrispi et publicavi

in hanc formam redegi signoque et nomine meis solitis et consuetis unacum
prefati domini episcopi judicis executoris sigilo appensione signavi in
fidem et testimonium omnium singulorum premissorum rogatus et
requisitus.

(Locus signi publici)

(A. E.)